

3.

Heiligenkreuz, Mon. OCist., Cod. 292, ff. 24r–25r, sermo 13 (HI)¹
= Sermones Quinqueecclesienses, sermo 80, ed. pp. 172–174 (SQ)

[Sermo tertius de sancto Ladislao rege]

(1) (f. 24r) „**Lux orta est iusto, et rectis corde leticia**” (*Ps* 96, 11). – Quemadmodum Salvator noster semetipsum manifestavit, cum in mundum veniret, scilicet per stellam fulgentem, *Mt.* 2, (2), sic sanctitatem magni regis Ladislai declaravit per stellam fulgentem. „Nam cum in die primi festi sui fideles ad ipsius tumbam convenissent, viderunt clara die, tempore misse stellam splendidam supra templum stare tribus horis,² directe contra locum, ubi erat interius sepulchrum sancti viri. Et videntes gavisus sunt gaudio magno, valde³ intelligentes in celis eum esse, cui celestia serviebant. Cui facto concordans proposita sancta auctoritas dicit: „**Lux**”, scilicet stelle fulgentis, „**orta est iusto**”, id est sancto Ladislao, „**et rectis corde**”, id est fidelibus ibidem congregatis, et hoc videntibus orta est „**leticia**” secundum illud *I Mach.* 4, (58): „Facta est leticia magna in populo.”

(1.1) Iustus ergo hic dicitur sanctus rex Ladislaus. Qui fuit iustus:

(1.1.1) Primo penitendo, quia „ieiuniis et oracionibus vigil insistebat, peccata populi plangebatur, et in ara cordis semetipsum Deo hostiam vivam offerebat, et vigiliis⁴ prolixioribus fatigatus in exedris ecclesiarum paululum pausabat.”⁵ Sic accipitur iusticia⁶ pro penitencia, *Tob.* 13, (8): „Convertimini, peccatores, et facite iusticiam”, id est punicionem peccatorum. Sed de non penitentibus⁷ dicitur *Is.* 33 (recte: 26, 18): „Iusticiam non fecimus in terra,” id est penitenciam in carne, „ideo non ceciderunt habitatores eius”, id est motus carnis. Ieronymus *Ier.* 1. 4: „Sevissimam bestiam, id est fomitem, sine penitencia vincere non possumus.”⁸

(1.1.2) Secundo miserendo, quia erat magnus et munificus. „Omnes enim ecclesie et monasteria elemosinis eius sunt locupletata, propter quod mutato nomine ab omni gente sua pius rex vocabatur.”⁹ Sic accipitur iusticia pro misericordia in primo dicto themate, *Ps.* (111, 9): „Dispertit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum.” Gregorius in Pastoralis: „Cum quelibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur, et iusticie potius debitum solvimus, quam misericordie opera implemus.”¹⁰ Quia iustum est, ut quod a communi Deo tribuitur, quicumque hoc accipiunt, eo communiter utantur. *Ps.* (36, 21): „Iustus miseretur et tribuet.”

(1.1.3) Tercio iudicando, quia „iudicabat iudicandos cum tali scilicet timore, ac si ipse staret coram (f. 24v) summo iudice.”¹¹ Proinde competit sibi dicere verbum *Ps.* de se (118, 121): „Feci iudicium et iusticiam”, id est iudicium cum iusticia. *Apoc.* 19, (11): „Vocabatur fidelis et verax, et cum iusticia iudicat.”

¹ Heiligenkreuz, Cod. 292: sermonarium saec. XIV/1, sermo ipse ca. 1300, originis Hungaricae OP, cf. notam primam sermonis primi. – (Madas–Horváth 2008, 82–88.) – Textum Cod. 292 (HI), cum necesse erat, ope

„Sermonis Quinqueecclesiensis (SQ) correximus.

² SQ horis] HI add. et

³ Cf. SRH II, 526, 14–20.

⁴ SQ vigiliis] HI vigil

⁵ SRH II, 519, 14–19.

⁶ SQ iusticia] HI om.

⁷ SQ penitentibus] HI penitente

⁸ Hieronymus, *Commentaria in Ieremiam*, lib. 1, c. 4. – PL 24, 735A.

⁹ Cf. SRH II, 519, 8–10; 519, 4–6.

¹⁰ Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, pars 3, c. 21. – PL 77, 87B.

¹¹ Cf. SRH II, 518, 25–27.

(1.1.4) Quarto obediendo. Licet enim esset rex, tamen et ipse erat „homo sub potestate”, scilicet divina, „constitutus”, *Mt.* VIII, (9). Cui et obediebat, ut Deo, quia dicitur, 1 (2) *Mach.* 9, (12): „Iustum est esse subditum Deo.” E converso est autem „valde iniquum velle sibi obtemperari a minoribus et nolle obtemperare maioribus”, secundum Augustinum,¹² *I. Cor.* XI. Et quia obedivit suo superiori, obedivit sibi suum inferius, scilicet grex ferarum. „Nam cum vice quadam dum Bissinni captivos adduxissent de eius imperio, venit cum exercitu in solitudine persequens eos, nec habebant, quid manducarent, oravit Dominum, qui manna pavit populum in deserto. Et ecce grex cervorum et bubalorum deposita feritate venit in castra et inde miraculose vixerunt.”¹³

(1.2) Huic „**iusto orta est**” a Deo quadruplex „**lux**”, scilicet:
rationis in creacione,
operacionis in conversacione,
iustificacionis in gracia,
clarificacionis in gloria.

(1.2.1) De prima luce, *Ps.* (4, 7): „Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.” Augustinus, *De baptismo*: „Racio insita sive inseminata lumen anime dicitur.”

(1.2.2) De secunda, *Io.* V, (35): „Ille erat lucerna ardens,” scilicet in affectione lucens, scilicet in operatione. *Mt.* V, (16): „Sic luceat lux vestra coram hominibus.”¹⁴

(1.2.3) De III^a, *Is.* 9, (2): „Habitantibus” etc. id est in peccatis, „lux”, scilicet graciae iustificacionis, „orta est eis.” *Eccli.* 36, (1): „Ostende nobis lucem miseracionum tuarum”, id est gratiam tuam, per quam misericorditer iustificas.

(1.2.4) De IV^a, *Da.* (?), 4. libro: „Deus est vita et lux, et qui in manu Dei sunt, in vita et luce existunt.” Augustinus *Super Ps.* 4: „Ubi Deus est, ibi lux invenitur.” *Dan.* II, (22): „Lux cum eo est.”

(1.3) Ex consideracione autem orte lucis sancto viro orta est leticia fidelibus suis de suo bono gaudentibus, sicut nunc dicitur „**et rectis corde leticia**”. Dicit autem Isidorus, quod leticia est motus naturalis caliditatis ad recipiendum illud, quo gaudet anima et delectatur. Et secundum quod multipliciter movetur delectabile, sic multiplex erit leticia, et si moveatur inordinate, inordinata erit leticia secundum illud, *Proverb.* 2, (14): „Letantur, cum malefecerint” etc. Si vero ordinate movetur, ordinata erit leticia, sicut dicitur, *I.* (2) *Paral.* 6, (41): „Sancti tui letantur in bonis.”

(1.3.1) Tripliciter autem movetur anima inordinate, scilicet:

(1.3.1.1) Respectu potencie, ut in superbia vite. *Eze.* 25, (6): „Plausisti manu et gavisus es ex toto affectu super terram Israel.”

(1.3.1.2) Respectu opulencie, ut in concupiscencia oculorum. Oracius in *Sermonibus*: „At michi plaudo ipse domi, simul ac^z nummos contemplor in arca.”¹⁵ Quo contra, *Iob* 31, (25): „Si letatus sum super multis divitiis.”

(1.3.1.3) Respectu deliciarum, ut in concupiscencia carnis. *Is.* 22, (13): „Gaudium et leticia, comedere carnes et bibere vinum.” *Iudi.* 16, (25): „Letabantur Philistini per convivia sumptis epulis.” Omnibus talibus dicitur, *Osee* IX, (12): „Noli letari Israel, sicut populi, quia fornicatus es a Deo tuo.”

(1.3.2) Leticia ordinata similiter triplex est, scilicet:
temporalis,
spiritualis,
et eternalis.

(1.3.2.1) Leticia temporalis in duobus constitit, scilicet:

¹² Augustinus, *De opere monachorum*, cap. 31. – PL 40, 678.

¹³ Cf. SRH II, 520, 5–15.

¹⁴ SQ lux vestra... hominibus] HI etc.

¹⁵ Horatius, *Saturae*, 1, 1, 66–67.

in tranquillitate temporis
et in fertilitate fructificationis.

(1.3.2.1.1) De leticia tranquillitatis dicitur, I (2) *Paral.* VII, (10): „Letati sunt super bono, quod fecit Dominus Salomoni et populo suo.”

(1.3.2.1.2) De leticia saturitatis sive fructificationis, *Act.* 14, (16): „Dedit tempora fructifera implens cibo et leticia corda nostra.” (f. 25r) 1 *Paral.* 29, (22): „Comederunt et biberunt coram Deo cum grandi leticia.”

(1.3.2.2) Leticia spiritualis constitit in duobus, scilicet:
in remissione gracie
et in illuminatione sciencie.

(1.3.2.2.1) De leticia remissionis, *Ps.* (4, 7): „Dedisti leticiam in corde meo,” *Glossa*: „spiritualem.” *Ps.* (30, 8): „Letabor¹⁶ in misericordia tua.”

(1.3.2.2.2) De leticia illuminationis, *Proverb.* XV, (30): „Lux oculorum letificat animam.” *Ps.* (18, 9): „Preceptum Domini lucidum.”

(1.3.2.3) Leticia eternalis constitit in duobus, scilicet:
in visione Dei
et in evasione mundi.

(1.3.2.3.1) De leticia visionis Dei, *Ps.* (20, 7): „Letificabis eum cum vultu tuo.” *Ps.* (65, 6): „Ibi letabimur.”¹⁷ *Is.* IX, (3): „Letabuntur coram te, sicut qui letantur in messe.”

(1.3.2.3.2) De leticia evasionis mundi, *Is.* 35, (10): „Gaudium et leticiam obtinebunt et fugiet dolor et gemitus.” Ad hanc leticiam sancti vadunt cum leticia. *Ps.* (44, 16): „Afferentur tibi in leticia et exultacione.” *Is.* LV, (12): „In leticia egrediemini”, scilicet de corpore, „et in pace deducemini”, scilicet ad celum, „montes et colles”, id est angeli et sancti „cantabunt coram vobis laudem.” Pro hac leticia sancti serviunt cum leticia. *Ps.* (30, 2): „In te Domine.”¹⁸ (*Ps.* 99, 2): „Servite Domino in leticia.” 1 *Paral.* 29, (9): „Letatus est populus, cum vota offerret.” In spe huius leticie debemus et nos letari. *Ps.* (121, 1): „Letatus sum in hiis, que dicta sunt mihi.” Rogemus ergo.

¹⁶ **SQ** letabor] **HI** letabitur

¹⁷ **SQ** *Ps.* (65, 6): "Ibi letabimur."] **HI** *om.*

¹⁸ **SQ** *Ps.* (30, 2) "In te Domine." **HI** *om.*